

20.
**RHEIDENSTE-
NII SOLESCII,
SECRETARII REGII
CANCELLARIUS:**

SIVE *in fine Tractatus istius ad Regem
in Dantzig 1742, ad Johannem
nem Georgium Petrum Schallz Edictum Comitatus de Can-
cellariis Regni Pol.*
**De dignitate & officio Cancel-
larij Regni Poloniae, ad Illust.
& Reuerendiss: praesulem, Do-
minum LAVRENTIVM GEM-
BICKI, Dei gratia Episcopum
Culmensensem, Administratore
Pomesaniensem, Regni Su-
premmum Cancellarium.**

LIBER SINGVLARIS.

*Donum Auctoris, 21. Julii
1750 -*
**BRVNSBERGÆ,
Typis Georgij Schönfels.**

Anno Domini M. DC. X.

*V.
N. V. B.
Dantzig.
Anno 1742.*



JOANNES PREVCK Prothonotarius
Apostolicus, Canonicus & Officialis Varmien.
Fidem facio, me requisitum vigore officij mei
perlegisse diligenter totum tractatum Magnifici
ac eruditi viri Dñi Reinoldi Heidensteinij Secreta-
rij Regij, cui titulus est: Cancellarius, siue de digni-
tate & officio Cancellarij Regni Poloniae, & non
solùm nihil in illo reperisse, quod fidei S. Romanæ
Ecclesiæ repugnaret, aut contra bonos mores esset,
verùm etiam multa scitu digna viris doctis contine-
re. Quare, præsentibus facultatem concedo Geo-
gio Schönfels Typographo Brunsbergen. prædictū
tractatum liberè ac licitè imprimendi & distrahen-
di. In cuius rei fidem propria manu subscripsi &
Sigillum officij mei subimpressi. Actum & datum
Varmia, in Curia mea 9. Martij Anno 1610.

E. xviii 80

JOANNES PREVCK, CANONICVS
& Officialis generalis Varmien.



R. HEI



R. HEIDENSTENII SO-
LESCII: SECRETARII RE-
GII DE DIGNITATE, ET OFFICIO CANCEL-
larij Regni Poloniae, ad Illustrissimum & Reueren-
dissimum Præsulem, Dominum Laurentium Gem-
bicki, Dei Gratia Episcopum Culmensensem, Ad-
ministratorem Pomesaniensem, Regni
supremum Cancellarium.

LIBER SINGULARIS.



*Summa virtus tua, Illustrissime
ac Reuerendissime præsul, ad eū
te Magistratum euexit, qui non
in nostra solū, sed omnibus adeo
rebus pub. clauum quasi omnium
rerum tenet. Quod enim nobili
loco natus sis: quod secundū
leges nostras in honoribus hisce capiendis, vel maxime
apud nos requiritur: cum plurimis, ne dicam infinitis,
in regno hoc commune tibi est: quod autem sapientissi-
mi Regis nostri iudicio ex omni nobilitate Ecclesiastici
ordinis maxime dignus indicatus sis; cuius fidei, pru-
dentiæq; summum Cancellarij munus, unaq; cum eo*

universa respub. committeretur, singulari virtuti
tua tributum, nemo est qui non agnoscat. Itaq; ne an
gratulari quidem tibi debeam scio. Ea enim fere, quæ
casu fortuitoq; bona hominibus eveniunt, gratulatione:
quæ ingenio, labore, virtute parta habent, laudibus po-
tius prosequi solemus. Gratulationis igitur, quæ vel
ambitiosa, vel minus necessaria videri posset, loco pro
vetere mea in te observantia, summaq; tot annorum
coniunctione, de dignitate officioq; muneris huius, ali-
quid ad te mittendum putavi. Non quòd novi aliquid
allaturum me tibi existimem: sed ut quæ præclarissimè
à te geruntur, administraturq; ob oculos tibi proponā,
Et te ipsum quasi in speculo tibi ostendam. Verùm de
dignitate muneris huius dicere volenti, nescio quid vel
prius, vel aliud dicendum sit, quam non modò
priorem autoritate nullum, in ulla repub. regnare
magistratum, sed ne antiquiorem quidem extitisse. No-
men enim Cancellarij novum fortassis fuerit: rem
vetustissimam reperiemus. Ab initio enim quidem,
heroicisq; adeò temporibus, natura fere coniuncta ista
inter se fuisse videntur, facere Et dicere: Μὴδὼν τε ἐντὺρ
ἐμὲναι, πρὸς τὴν ἑαυτὸς τε ἐγγὺν postea cum vel negotiorum multi-
tudo, vel ignavia hominum ea seiunxisset, duo autem
maximè omnium rerum pub. administrandarum tem-
pora existant, vnum belli, alterum pacis; qui utrisq;
hisce præessent, magistratus simul existeret, necesse fuit.
Ex quo igitur regna respubq; aliqua, ac societas adeo,
aut

aut genus hominum fuit, magistratus quoque simul hi
existere; ut qui cum ipsis regnis hominibusque simul
nati videantur. Quemadmodum autem bellicarum
rerum praefecti, pro diuersitate rerum pu. regnorumque,
aliis nominibus alibi appellati fuere: aliquando etiam
in eadem repub: regnoe e temporum mutatione, nomi-
na quoque mutarint: ita, quibus pacis tempore consilia
negotiaque publica commissa fuere, nomina quidem in
alijs regnis rebusque publicis, aliquando etiam in iisdem
diuersa sortiti fuere: res, functioque eadem semper man-
sit, manetque. Quod autem functionis huius partes plu-
res sint, raro quod omnes complectatur, nome aliquod,
antiquis praesertim temporibus reperiemus: ut pluri-
mum, quod vniam solam alteramque. Maximè tamen,
quod consilia omnia publica decretis scriptisque firmen-
tur, Et executioni quasi cuidam demandentur, apud
plerosque fere populos, vix non a scriptionis hoc munere
magistratui quoque huic nomen inditum. Atque ut cla-
rissimarum saltem duarum rerum pub. Atheniensis
atque Romana, instituta hac in re inspiciamus. apud
Athenienses quidem, vix non oratores, quos vocabant,
munus hoc sustinuisse existimare possumus; e quibus pri-
mus Pericles cum eloquentia sua ageret ferretque rem-
pub: sequentibus ad populum de repub: referendi: ora-
tione, quacumque liberet, impellendi: decreta scribendi,
eademque scribis connotanda tradendi: inque archiuum
publicum referendi, non exemplum solum tradidisse,

sed viam quasi strauisse videtur. quem recentiores oratores, inter quos princeps Demosthenes, secuti, regnū quasi quoddam consiliorum iudicorumq; publicorum obtinebant. quamuis peculiaris nominis magistratus, quem νομοφύλακτα vocabant, magnam etiam partem muneris huius apud eosdem administrasse videtur. Non minore autem autoritate apud Reges quoq; , qui eo loco erant, habebatur: ab eodemq; scribendi munere, scribarumq; aliorum praefectura quadam ἀρχιγραμματεὺς ferè appellabantur. Inter quos apud clarissimum Regē Alexandrum Eumenes tantū autoritate, dignitateq; valuit; ut & viuus Alexander affinitate cum sibi deuinciret: & post mortem eius, homo externus, Cardianus, inter Duces Macedonicos, vix vlli secundus esset: ridereturq; vulgò à Macedonibus armigerorū princeps Neoptolemus; qui ut cum illo se compararet, Eumenem cum stilo & tabella, se cum clypeo & hasta Alexandrum comitatum iactabat. Vix non simili dignatione, apud priscos etiam Hetruria Reges, qui munere eo fungebantur, fuisse videntur. cum scriba proximus apud Porſenam Regem, eodem cultu atq; maiestate ferè sedens, pro ipso Rege per errorem à C. Mutio interfectus fuisse tradatur. Verū ut ad Romanæ potius reipub. imperijq; , à quo nostra etiam maximè fluxère, instituta respiciamus, primis fere reipub. temporibus inter varios magistratus, officium id distributum fuisse reperiemus. Nam & Consules, & Censores
E præ-

Et praetores, Et quaestores, ceterosq; adeo magistratus aliquam officij eius partem attigisse suspicari licet. Consules quidem praetoresq; ad Senatum de repub. referendo: responsis ad exterarum legationes dandis, quaestores senatus consultis, legibusq; in tabulas arariumq; referendis: in uniuersum autem magistratus, senatoresq; omnes vel senatus consultis, edictis, legibusue scribendis: vel scriptis in senatum afferendis. Quae ex Imperatoribus pluraq; primus fere Claudius, ad unum quaestoris officium reuocasse uidetur. qui principali quaestore instituto, per eum fere Et orationes in senatu recitabat: Et quae cum senatu agenda putabat, agere instituit; ut errasse uideatur Zosimus, qui à temporibus Constantini primum id obtinuisse narrat. Quamuis Nero iam quaestorum officio praterito, per Consules orationes in senatu recitare solitus fuisset: posteriores uero imperatores scriniorum libellorumq; magistratos, quaestorum eorum loco habuisse uideantur. Cancellarij quidem mentio, quantum recordari possum, apud Vopiscum in Carino prima extat. Sed alio, ut suspicor, ac uix non fædo aliquo significato. Praefectum urbi, inquit, unum ex Cancellarijs suis fecit: quo fædius nec cogitari aliquando potuit, nec dici. Ad scriniorum enim, libellorumq; scriptorumq; atq; huiusmodi negotiorum administratores, pertinere id non potuisse Pauli Et Ulpiani praefectura ostendunt; qui Papiniano in consilio fuere: ac postea cum unus ad memoriam, alter

ad

ad libellos paruiſſet, Spartiano teſte, ſtatim præſecti fa-
cti ſunt. Verùm cum non minùs fœdæ voluptates quàm
ſecretiſſimè haberi ſoleant; fieri poteſt, ut qui apud per-
ditum principem illis præfuerint, Cancellarij ipſi quoque
appellari fuerint. Cæteroquin quòd conſilia ſcriptaque
publica quàm maximè ſecretè, atque intra cancellos
quaſi ſeruari debeant, à Gothicis fere temporibus, in o-
mnium Regum principumque Chriſtianorum aulis, ac
plerisque etiam rebus pub. qui conſiliis ſcriptisque publi-
cis præſunt, cancellarios appellari obtinuiſſe videmus. quæ-
que in Romana, aliisque nonnullis rebus pub. à diuerſis
magiſtratibus, per partes adminiſtrata fuerint, unum
nunc omnia fere complexum. Ut enim ad noſtri potiſſi-
mum, Polonia nimirum regni Cancellarij officium ve-
niam, munus eius quatuor potiſſimum partibus conti-
neri videmus. quarum prima in deliberationibus con-
ſiliisque publicis, partim nomine Regis, ad ſenatum ordi-
nesque referendis, partim dirigendis. altera in extero-
rum legationibus excipiendis, reſponſisque ad eas dandis
ſcriptionibusque: tertia in Iudiciis: quarta priuatorum
deſideriis ad Regem Senatūque referendis verſatur.
In quibus quidem omnibus commune hoc primum qua-
ſi, ac potiſſimum præceptum eſt, ut ſecundum ius legesque
publicas omnia adminiſtrentur. Secundum quod, con-
ſiliorum quidem publicorum directio, in eius, qui mu-
neri illi præpoſitus eſt, prudentia uſuque rerum poſita
potiſſimum eſt. Itaque non ſolum ſapientiſſimo iudicio
Regum

Regum nostrorum semper observatum fuit, ut non rudes tironesue aliqui, sed institutorum, legum, iuris, totiusq; adeo reipub: gnari, quiq; magnam partem atatis, in negotijs publicis egissent, muneri huic adhiberentur: Verum idem legibus etiam apud nos cautum: maximeq; eam, ut videtur, ob causam, ut qui primus secretarius esset, idem ad Cancellarij munus proximus esset, constitutum. Ut qui in munere eo Secretariatus, omnium Secretorū consiliorum conscius, & cum scribendo, tum negocia tractando, pluraq; reipub. instituta imbibisset, magistratibusq; parēdo, præclare obijisset, eadem eò præclarius in ipso magistratu administraret. Orationis autem vis, atq; ut uno verbo dicam, eloquentia; quæ partim Senatus, populiq; animos ad salutaria reipub: consilia, in eas quæ reipub: expedierint, partes, impellit permouetq;: partim ad exterorum legationes, copiose diserteq; respondet, & si doctrina usuque rerum ipsa quoq; perficitur: nescio tamen quomodo vix non magis à natura, ingenioq; tota proficisci videatur. Multos enim cognovimus, qui cum literis egregiè eruditi fuerint, quod naturali tamen ista facultate destituerentur, vel infantes, vel minus certè disertis habiti fuerint: alios nullis fere literis excultos, ab ingenio tamen naturaq; instructos, oratorum nomen atq; famam consecutos: rarissimos quidem, sed perfectissimos eos qui cum ingenij naturaq; felicitate, literarum abditq; doctrina studia coniunxerint. Talem,

ac vix quidem scio, an unum nostra aetas Ioannem Zamoscium, nunquam sine maximi viri praefatione nominandum cognouit. quem ideo natura producere voluisse videtur, ut quod incredibile multis visum, in uno homine, summam bellicarum civiliumq; rerum scientiam, omniumq; virtutum exemplum simul existere posse ostenderet. Quanta enim vis eius in dicendo fuerit: quanta rerum verborumq;: quanta ex omni antiquitate & memoria petitorum exemplorum copia: quanta prompta & ex tempore, ut plurimum petita oratio: quanta in oratione autoritas ac pondus, quis nostrum non meminit? Sed & te Illustriss: praesul, cum in aliis partibus oratoriis, tum maxime responsis, ad exterorum legationes, promptè diserteq; dandis, quis nostrum nunc non miratur? Scribendi munus, cum leuius à quibusdam iudicetur, haud scio an non omnium maximum grauissimumq; sit. Ut quod non solum, quemadmodum oratio ad tempus, in animis hominum residet, aculeosq; relinquit: Sed ad posteri etiam cui memoriam, acta consiliaq; hominum transmittit. cumq; animi, & mentis, ut ita dicam, publicæ index & intèpres quasi quidam oratio sit: orationis autem custodes literæ: eò maiore cura tractanda nobis sunt, quòd oratio, ut finem quis dicendi fecerit, simul extinguitur: ex scriptis, quibus quisq; princeps aut respub. institutis fuerit: qua animi moderatione: qua prudentia: quos spiritus gesserit: qua consilia agitarit, etiam posteritas cognoscit. maxime itaq; in eo genere errare mihi videntur, qui scriptoris munus

cum

cum scribarum confundunt. Cum maximè distincta
ista, separataq; inter se sint. Vtrosq; quidem Cancellarij
munus officiumq; completitur, tam scribas quàm
scriptores: sed cum scriba scriptoris etià munus aliqua
ex parte tractare videantur, dignitate tamen, usu, of-
ficio, longo quasi intervallo ab ijs distāt. Scriptoris mu-
nus est, publicè consulta, constitutàue, apta prudentiq;
oratione effari, exprimereq;. Scribarum, maximè autē
eorū, quos eius ordinis notarios vulgò vocamus, ea, quæ
à secretariis seu scriptoribus scripta sint, vel etià, quæ
publicis solennibusq; formulis continentur, notis exci-
pere: tabularia librosq; earundem rerum servare, bo-
naq; fide mandato vel Regio, vel Cancellarij & refer-
re, & edere. quæ quidem eadē ratione, cum in aliis qui-
busdam rebus. tum maximè Romana Atheniensiq;
eadem inter se discreta disiunctaq; fuisse observare po-
sumus. Primum enim scribarum munus, & si honestū
sanè, ab inferioris tamen fere ordinis hominibus tr-
ctatum reperiemus: maximè tamē in Romana repub.
apud Græcos enim secus. apud quos honorificentiq; illud
fuisse Æmilius Probus testatur, qui cum Eumenē scri-
bæ loco apud Philippum fuisse narrat. quod multò apud
Græcos, inquit, honorificentius, quàm apud Romanos.
Nam apud nos reuera, sicut sunt, mercenarij scribæ ex-
istimantur. At apud illos contrariò, nemo ad id officiū
admittitur, nisi honesto loco & fide, & industria cogni-
ta: quòd necesse est omnium consiliorū eum esse participē.

quod idem fere de nostris confirmare possumus; apud
quos plerique ex præcipuis etiam familijs nati, munus
hoc primum quasi gradum, atque aditum ad rempub:
sibi faciunt. tum vero in rationibus magistratum,
scriptisque dirigendis fere versatim reperiemus: scriptio-
nem, & à summa dignitatis viris administratam: &
publicis fere tantum vel edictis, vel senatus consultis,
vel responsis ad exterorum legationes, vel legibus vel
eius generis scriptis scribendis, promulgandisque, occu-
patum fuisse. Itaque non solum in Atheniense repub. ora-
tores summi viri, qui uniuersam quasi rempub. in po-
testate habebant, psephismata illa, quæ vocabant sua
ipsi scribebant, nominaque sua illis præscribebant: sed
idem in Romana repub. factitatum animaduertere
possumus. Obuia passim in scriptoribus Romanis di-
ctatorum, Consulum, prætorum, aliorumque principum
mentio est; qui leges, senatus consulta, edicta ipsi domo
in senatum, concionem uel scripta attulerint. ac ne alijs
scribenda dedisse, vicariaque opera scripta in publicum
attulisse existimare possimus, Cicero ostendit, qui Pom-
peium principem eo tempore senatus accusat, quod cum
ipse scriptor luculentus esset, responsum tamen ad lega-
tionem Cesaris ab eo promulgatum, non ipse scripsisset:
sed Sestio, viro quidem prætorio, sed eloquentia cum
Pompeio non comparando, scribendum dedisset. itaque
nihil se, inquit, vidisse: *Συγγραφεύς*. In hoc ipso regno
nostro proprium ipsorum Cancellariorum munus id est.

Qui-

Quibus, nisi vel negotiorum multitudine obruti, secretarios ad hoc munus adhibere cogerentur, ipsas plane onus hoc sustinendum esset: atq; adeo, si quando idoneorum secretariorum copiam habere non possint, necessario etiam sustinent. Tantum igitur, cum in muneribus hisce positum sit, quæ utriusq; partes sint, non alienum fortassis fuerit, paucis informare. Cum in omni igitur scriptore duo potissimum spectemus, primum rerum pondus gravitatemq; tum verborum orationisq; elegantiam, nostro secretario seu scriptori, prima tamen potissimaq; rerum cura sit. Et si enim materia ipsa scriptiois ab ijs, quorum nomine scribendum ei est, ferre ei subministratur: ea ipsa tamen gravissimarum rerum, quasi vestitu quodam ornanda, distinguendaq; illi est. Itaq; rerum variarum cognitio prima esse debet. Rectè enim ille. Rem tibi Socratica poterunt ostendere chartæ: verbaq; præmissam rem non inuita sequentur. Primum igitur Socraticis chartis, Philosophie nimium præceptis cognitioneq; pectus imbutum habeat. Quæ cum omnium rerum, tam diuinarum, quàm humanarum scientiam profiteatur, ex ea etiam, potissimum tanquam ex fonte omnium præclararum rerum cognitio petenda illi est. Adiungat adhanc legum iurisq; tam nostri, quàm externi, maxime autem Romanæ cognitionem: historiam cum domesticam, tum omnium vel clarissimorum saltem imperiorum rerum pubq; unde omnis generis exemplorum copia ei suppetat, me-

memoria comprehensam habeat: non in domesticis solū,
verūm exteris etiam institutis, moribus, observationi-
busq̃, peregrinus infansq̃ nō sit. Parua res est, sed qua
nonnunquam magni errores committuntur, tituli sa-
lutationumq̃. Et eiusmodi caeremoniarū formula. qui-
bus qui offendunt, si non stultitiæ, imperitiæ certē notā
subeant, necesse est. Ac pontificia quidē fere sola curia
excepta, pristinae gravitatis retinentissima, ambitione
regiarum Christianarū, vix non in omnibus aulis, aliis
quidem minus, aliis magis, à pristinis titulis iam fere
recessum, communiq̃, vel ambitioni, vel gratiæ aliquid
dari animadvertere possumus. à nobis tamen summo
studio id vitandum. Quod si ex mutatione principum,
vel qua alia causa quid mutandum sit, non nisi iudicio
scituq̃, ipsorum Cancellariorum, atq̃ adeo Regis, id fa-
ciendum. non semel etiam ad ipsum senatū de quorun-
dā titulis relatum memini. Imprimis verò etiam, ne
quid à superiorib9 negotiis tractationibusq̃ dissonans
aliquando admittatur: in quo cum peccatur, graviissi-
me sanè peccatur: qui negocia hæc tractant, superiorū
etiam legationum, negociorumq̃, externorum libros, si
non altius, vel à nostra saltem memoria diligenter ex-
cussos, cognitosq̃ habeant. Qua rerum gravissimarum
variarumq̃ cognitione usuq̃ instructus cū fuerit, ne
illi non magnoperè de verbis laborandum erit; quæ vel
ex ipsis rebus potissimū nascuntur: vel ductum cer-
tè rerum, ultrò sequuntur. Sed tamen ne verborum
quidem

quidem orationis sue cura ei remittenda. quæ ipsa quan-
ta esse debeat, Julius Cæsar summus ipse orator testari
non dubitauit; cum ad Ciceronem de ratione. Latine
loquendi scribens, verborum delectum originem esse e-
loquentiæ, dicere non dubitaret. Ac non immerito sa-
nè à nonnullis queri scio, quæ potissimum lingua, scri-
ptæ publicæ tractanda sint. Romani quidem præsci ma-
gistratus ita suæ, populique Romani maiestatis retinen-
tes erant, ut inter cetera obtinenda grauitatis indicia,
illud quoque magna cum perseuerantia custodirent, ne
Græcis unquam nisi Latine responsa darent. quin etiã
ipso Græcos, per interpretem semper loqui cgebant:
neque in urbe tantum sed etiam in Græcia, & Asia: non
quod illis deessent studia doctrinæ, aut Græcæ linguæ
usus: sed quod nulla non in re pallium togæ subijci de-
bere arbitrarentur: adeoque Molonem Rhetorem, cuius
M. Cicero auditor fuit, primum ante omnes exterarum
gentium, sine interprete in senatu auditum fuisse nota-
tum fuit. cuius deinde exemplo, posterioribus demum tem-
poribus, Græcis etiã actionibus aures curiæ dabantur.
donec sub imperatoribus tandem paulatim Græcia vi-
cta ferum victorem vicit, & artes Intulit agresti La-
tio. maxime autem Constantinopolim imperio transla-
to, Latium planè in Græciam degeneraret. Verum ut
ad rem redeam, Romani cum vniuersum fere orbem,
maxime autem Græciam, Asiamque imperio subiectam
haberent, indignum esse existimabant, illecebris & sua-
uitati literarum imperij pondus & auctoritatem donari.

Nunc

Nunc Christianis principibus & populis ex aequo quasi inter se res est. Itaque latina lingua, tanquam communis omnium gentium Christianarum, publico quasi consensu, recepta fere ab omnibus est. Repertos tamen aliquando quosdam memini, qui sua etiam lingua, ad Reges nostros scriberent: vicissimque agitatum, ut nostra quoque sclaunonica eis responderetur. Ut cum illi dignitatis grauitatisque sua nimis retinentes viderentur, nos nostra non omnino etiam negligentes videremur. Sed maioris partis principum populorumque Christianorum, ut alijs in rebus, ita in hac quoque fortassis consensus spectandus, latinaque oratione utendum. in qua imprimis quidem annitendum, ne quod verbum vel ineptum, vel à maiestate dignitateque publica alienum obrepat: ne quod sordidum, vel è trinitio petatum: neue vel vetustate obsoletum, vel nouitate insolens, obscurumque sit. Est enim id quorundam viciū, maximè nostrae ætatis, ut id demum rectè loqui esse putent, inusitatè loqui. omninoque opera danda, ut non solum rerum tractatione prudens: sed verbis etiam grauis, perspicua, elegans oratio sit: neque tamen ita etiam superstitiosa, ut verbum nostrae ætatis vsu iam receptum, quamuis non è Tulliana Iulianæue penu, quamuis etiam barbarū, tanquam scopulum mox fugiat: cum Caesar ipse tantus delector verborum, quantum supra ostendimus, esset, effedarijs, alijsque Gallicis, seu barbaris vocibus uti in oratione sua non dubitet. Sat igitur fuerit, si corpus
ipsū

ipsum orationis tale sit, quale informauimus. Itaq;
non modò in grauioribus autoribus, sed amœnioribus
etiam illis, maximè quidem oratoribus, tum poëtis, tam
Græcis quàm Latinis, quorum lectione maximè ora-
tio coloratur, tritus versatusq; sit. quæ qui coniun-
xerit, is demum dignus mihi fuerit, cuius ore Reges
respúbq; loquantur: cuius calamo cogitata, consilia,
scita, decretaq; sua efferant. Quodq; Cicero de
quorundam clarorum oratorum orationibus confir-
mare non dubitat: melius de dignitate nominis Ro-
maneos meritos sibi videri, quàm quosdam Ligurum
Castellis expugnandis, ex quibus multi relati fuerint
triumphi, vnámq; L. Crassi dictionem sibi malle,
quàm Castellanos triumphos duos: idem de talium
scriptorum scriptis, vix non affirmare ausim. Tales
apud exteros olim Aeneas Siluius, ob singularem
virtutem doctrinamq; ad summum Pontificatum: Pe-
trus Bembus ad Cardinalitiam dignitatem, postea e-
uecti, tum alij non nulli fuere. Apud nos verò etiam
cum imprimis à Thomicio, deinde Padriuenio, tum Pe-
tro Mißkonio Græcis latinisq; literis excultissimo,
Episcopis Craconësis, & Cancellariis summis viris,
elegantioris in Cancellaria scriptionis cura suscepta
fuiſſet, eademq; ad Zamoscium vsq; perducta, Ber-
nardus Vaponius: Stanislaus Hofius, postea Episcopus
Varmiensis & Cardinalis: Martinus Cromerus in
Varmiense Episcopatu Hofij successor: duo etiam Gi-
ſij,

ſij, quorum prior ipſe etiam Episcopuſ Varmienuſis fuit: alter Stephano Rege immatura morte obiit: tum Andreas Patriciuſ Episcopuſ poſtea Vendenſis, non poſtremam laudem meruere. De te verò Illuſtriſſ: & Reuerendiſſ: præſul, quantum in ſecretariatu præſtiteriſ, ſilere malo, quàm ea, quæ dicenda de te eſſent, prædicando, aſſentationiſ aliquam notam apud te ſubire. Atq; hæc quidem de ſcribentibuſ, quos vocamus, ſecretariis dicta ſunt. Verùm alij quoq; quos non ſcribentes vocamus, non minus ipſi etiam ad Cancellarij auctoritatem officiumq; quodammodo pertinent. in legationibuſ enim vel ad exteros obeundiſ: vel domeſticis negocijſ fidei eorum commiſſiſ inſpiciendiſ, ad Regemq; aliquando ad Senatū etiam reſerendiſ munuſ eorum verſatur. quorum omnium præſcripta, mandataq; ex Cancellaria more maiorum eiſ dantur. Atq; commune quidem hoc illiſ cum ſcribentibuſ etiam ſecretariis munuſ eſt: non minus ſæpe enim fere ſcribentes etiam ſecretarij ad legationeſ muneraq; huiuſmodi delegantur. Sed cum ſcribere, rectè præſertim: non cuiuſcuſq; ſcriptor bonus exiſtere poſſit, quàm aliorum negociorum adminiſtrator: pro regni autem amplitudine infinita fere negocia ſunt; qui multitudinē eorum ſufficerent, alij etiam præter ſcribenteſ, ad negocia ea obeunda ſecretarij adhibendi fuere. Commune ſummumq; utrorumq; præceptum eſt, ut in negocijſ,

gocijs, quæ vel scripto vel oratione cum exteris præ-
sertim tractent, summam prudentiam cautionemq;
adhibeant: ac si quidem disertè reipub: iuribusq; re-
gni cauere non possint, saltem ne ipsi, aut in eorum
persona, scriptis, orationeue respub. capiatur, prospici-
ant. Ac propria quidem Iurisconsultorum hæc cau-
tio censebatur; qui nimis etiam aliquando cauti, in
omni sententia omnes captiones timere dicebantur:
Sed non minus cuiusq; viri politici esse debet. Qua
in re, quemadmodum in omnibus Ioannes Zamoscius,
unicum eloquentiæ prudentiæq; Senatoriæ exemplum,
praclarus omnino erat. qui sæpe monere nos solebat, ut
in huiusmodi negocijs; si vel ob eorum, cum quibus
tractabatur, vel ipsorum negotiorum difficultatem
apertè consulere reipub: non possemus: dubietate saltem
rem explicaremus: adeoq; omnem sapientiam huma-
nam in dubietate consistere, non semel dicere non dubi-
taret. nec mirum, cum ipsa oracula, quoties aliter
explicare se non possent, aut nollent ad dubietatem
confugisse videamus. Hæc igitur præter fidem ta-
citurritatemque, quæ utrorumque tam secretario-
rum omnium, quam scribarum seu notariorum, com-
munia esse debent, deq; quibus postea dicemus, tam
in publicarum scriptionum secretario seu scriptore,
quam aliis secretariis requirenda putarim. In no-
tariis, seu domesticorum negotiorum, vel quæ ad

ius pertinent, scribis, quorum certa fere solennesq; formulæ sunt, rerum cognitionem tantam, orationisq; elegantiam, minus fortassis requirere debemus: Iuris tamen, præsertim domestici non minorem. Prima enim potissimaq; in hoc genere, cura esse debet, ne quacumq; vel priuatim, vel publice huiusmodi scriptorum edantur, non contra publicum solum, sed priuatum etiam cuiusq; ius sint. Ad genus hoc scriptorū priuilegia fere, quæ vocant, donatione sue, tam perpetua, quales sunt ius nobilitatis, indigenatus, possessionum perpetuarum, aliaq; eius generis: quam etiam aduitalitia, tum finium regendorum delegationes, quas Commissiones vulgo vocamus, tutela, salui conductus, literæ moratoriæ, subleuationes, similiaq; pleraq; quæ ex negociis priuatis, domesticoq; iure proficiuntur, pertinent. Sed tamen publicam etiam rem non raro attingunt: partim domesticam, ut cum conuentus publici ex formula indicuntur, cum militibus auctoramenta constituuntur, compluraq; alia: partim quæ cum exteris etiam intercedunt, ut pacta fœderaq; cum plerisq; regnis finitimis: Iudicia itidem finium cum externis: dotes dotaliciaq; Reginarum, similiaq; quarum quidem rerum, certa fere solennesq; formulæ sunt, ex quibus ad præsens tempus hominesq; scripture accommodata, negocia ea finiuntur. Sed tamen primum non omnium: deinde cum & ius nostrū domesticum, singulis fere comitiis vel mutetur, vel

vel emēdetur, augeaturue, magna in his quoq³ scriptis,
quæ ad domestica negotia pertinent, cautione opus est.
duo quidē summa cura maximē vitanda, cauendaq³
sunt. vnum, cuius supra mentionem feci, ne quid à iure
alienum, vel contra ius edatur: alterum, ne quid prio-
ribus rescriptis contrarium, vel ab ijs diuersum. Prius
ut vitari possit, iuris quemadmodum ostendimus, co-
gnitione maximē opus est. Ita q³, notariis, qui huiusmo-
di scripta curant, more maiorum Regens, quem vulgo
vocamus, præesse solet. qui non solū operas inter scribas
partiat, easdem ab illis exigat, Regi q³ vel Cancellario
subscribenda afferat: verū ne quicquam huiusmo-
di committatur quod iure vel iuri, vel alteri alicui re-
scripto contrarium sit, edatur, ad eius maximē curam
pertinet. Quo in munere, quā illustri cum laude Si-
mon Rudnicius Episcopus nunc Parmiensis, prudentis-
simusq³ & integerrimus Senator, tum Regens, postea si-
mul maior etiā Secretarius, per complures annos ver-
satus fuerit, meminimus. Cum tamen vel per errorem
humanum, vel negligentiam committi nonnunquam
aliqua soleant, ad vtrumq³ vitandum, tria maximē
adiumento esse posse videntur. Vnum, ut formularium
aliquod omnium negotiorum huiusmodi ad ius nostrū
accommodatum correctumq³, in promptu habeant. ad
cuius normam omnia huiusmodi scripta exigantur, re-
feranturq³, quæ enim formularia tam in Cancellaria,
quā in archiuo extant, quā mutila imperfectaq³ sint,

non ignoras. Itaq³ memoria teneo, ad me aliquando à
clarissima memoria Joanne Zamoscio munus id dela-
tum fuisse. Sed cum vix captum à me fuisset, frequen-
tibusq³ regia nostra profectionibus, aliarumq³ scriptio-
num negociorumq³ publicorum multitudine impeditus
fuissem: planè id postea intermissum à me fuit. Te nunc
Illustrissime præsul laus ista maneat. Habes Andream
Lipsum Præpositum Gnesnen: Canonic. Craconiën.
Ioannem Kochanovium Canonic. & ipsum Craconiën.
secretarios Regios, viros & iuris tam nostri, quàm ex-
terni peritos, & scriptores luculentos. impetra ab ali-
quo horum, ut negociis omnibus in publica & priuata
domestica & externa, dextrè scienterq³ partitis, par-
tim ex compluribus, quæ extant formulariis, maxime
autem ipso iure nostro; quod quantum ab antiquo illo
multis in rebus nunc recesserit, scimus: in unum perfe-
ctumq³ corpus, omnium huiusmodi negociorum formu-
las contrahat: quæ earum emendatione opus habent,
corrigan, emendetq³: partim quorum formula non ex-
tant: quemadmodum quidem plurimum non extare cer-
tum est: ad iuris præscriptum normamq³ novas com-
ponat. quod cum extiterit, & minore cum labore, &
certiore quasi ratione sine ullo metu erroris, quod se-
quantur in huiusmodi scriptis, notarij habebunt. inter-
rim, ut non modò leges iuraq³ nostra, qui scripta ea
tractant, ad manû semper habeant censeo: ad eademq³
omnia ista rescripta examinent reuocentq³: Verùm ci-
uitatum etiam plerarumq³ priuata iura, seu priuile-
gia,

gia, quæ vocant. Cum enim singula ferè ciuitates pe-
culiaria quædam iura sua, ut depositiorum, contu-
berniorum, aliarumq; rerum habeant, qui ea cognita
aut in memoria non habeat, quomodo, ne quando in ali-
quod earum ius incurrat, vitabit. Maxime quidem
Prussicæ ciuitates multarum rerum diuersa ab alijs
ciuitatibus iura habere scimus. imprimis Gedanenses
portorij communicatione, cum Diuæ memoriæ Ste-
phano Rege, cum de ipsius portorij, tum de rescripto-
rum penaliū re aliqua exigente ad illos edendorum
ratione, tum de literis fidei publicæ, moratorijs itidem,
appellationibus, contubernijs, Commissis, Caducis,
naufragis, alijsq; compluribus rebus, præ ipsius Prussicæ
Ciuitatibus alijs, præcipua quædam iura habent. quæ
qui ignorat, non solum in eorum iura aliquando im-
pingat necesse est, si ad aliarum ciuitatum normam ex-
equare reuocareq; ea velit: sed ipsa etiam regia iura,
ne per ignorantiam aliqua re negligat, verendum ei e-
rit. Alterum, quo obuiam erroribus iri posse videatur,
est; ut quo quisq; sui facti rationem reddendam sibi sci-
at, quod à quoq; scriptum profectum fuerit, ei ipse sub-
scribat. Tertium, ut cum in tabularium ea ferè
tantum, quæ alicuius momenti sint, aut ad tempo-
ris alicuius memoriam durare debent, inscribenda
recipiantur: qui sigilli curam commissam habet, nul-
lum privilegium, nullam donationem, nullum cu-
iuscunq; generis scriptum signet, priusquam ab eo,
cuius in illo opera versata fuerit, subscriptum sit:
deinde,

deinde, priusquam argumentum cuiusq³ scripti, diem
item, & locum eius, in peculiare inuentarium seu albū
suum inscripserit: idemq³, utriusq³ Cancellaria signa-
tores quot septimanis inter se conferant. ut non modò
ex una eademq³ Cancellaria nihil inter se contrarium
edatur: sed ne cum alterius quidem Cancellaria scri-
ptis pugnans. Quæ quidem utraq³, ordinatio Cancel-
laria, in comitiis inaugurationis Henricana instituta,
ipsa quoq³ præscribit. Ad hæc si accedat, ut exceptis
secretariis: quorum meditatio atq³ labor secreto opus
habet: qui domestica seu formularum ista scripta tra-
ctant, non per diuersoria singuli, sed intra unius dom⁹,
seu cœnaculi cancellos: à quibus propriè Cancellaria
dicta est: simul omnes negocia ista expedirent: & Re-
gens faciliore labore pensa inter eos distribuere, eadēq³
exigere posset: & ne quid, quod celandum esset efferre-
tur, facilius caueri. Quod si institueretur, ut nimi-
rum in communi eodemq³ loco simul sibi quisq³ commis-
sa negocia expedirent, non alienum fortassis esset, ut
vetus etiam karbonæ mos iterum reuocaretur. quo ni-
mirum certus modus, æstimatioq³ in singula scripta: in
sigillum itidem à quoq³ scripto constituebatur: quæq³
ab ijs exigerentur, in unam arcam colligebantur, sin-
gulisq³ trimestribus, Regentis, vel ipsius Cancellarij iu-
dicio pro cuiusq³ merito & labore, in uniuersam cohör-
tem distribuebantur. Futurum enim ita esset, ut &
inuidia exactionum min⁹ Cancellaria laboraret; cum
certum

certum cuiusq; rei precium constitutum esset: Et cum
equum omnes laborem ferrent, laboris sui mercede ne-
mo fraudaretur. Abrogatus sanè hic mos, seu intermis-
sus potius, primum à summo viro Ioanne Zamosio fu-
it. Sed suas quasdam ille consilij sui rationes habebat.
maximè quidem, quòd venalem Cancellariam haberi
videri nollet: à qua re Et ipse abhorrebat: Et huiusmo-
di secretarius, ac notarius etiam utebatur, qui honestis-
simis promentibq; instructi, facile largitiones istas Et of-
fulas contemnerent: tum verò quòd in Castris perpe-
troq; motu versabamur, ne seruari quidem commodè
institutum id tum poterat. Sed tamen Et ad famam
Cancellariae tuendam: Et tenuitatem Inuentutis eius,
quæ in illis Castris versatur, subleuandam: maximè
autem æquabilitatem inter eosdem seruandam, vix nō
commodior vetus mos iste videri potest. Et si enim pri-
ma quasi Cancellariorum, Et cuiusq; magistratus cu-
ra ista est; ut non modò se, verum totam etiam cohortem
suam integram præsent: nemo tamen tam felix est,
quin inter multos bonos, grauesq; nonnunquam sordes
etiam aliquæ illi vel obrepant, vel obtrudantur. itaq;
nonnunquam fit, ut unus atq; alter, non modò commu-
ne commodum totum ad se conuertant, verum cum
æstimatio nulla certa, vel scriptorū vel sigilli constitu-
ta sit, pro suo arbitratu non sine inuidia nonnunquam
ipsius Magistratus, immodicum aliquid exigant. Et
in nobilitatis quidem negocijs, certum precium plura-

D rumq;

rumq; litterarum, iam ante iure publico etiam consti-
tutum est. Cines Iudæi, & exteri Cancellaria arbitrio
permisi. quò magis ut & nobilitas penes æstimatio-
nem legis conservaretur, Cancellarij prospicere: & de
aliis, qui ipsorum arbitrio permisi sunt, rectius liberi-
usq; ipsi statuere possent. Certa enim æstimatio in sin-
gula scripta, aut signationes constituta: pecuniæq; ab
ijsdem exacta, pro cuiusq; merito communiter in co-
hortem distributa, & invidia exactio^{rum}, aliquomo-
dò vitetur: & iuventus, quam certè suis stipendiis in
Palatina hac militia, mereri iniquum esset, unde ut:
cumq; se sustent^{ar}et, haberet. Si præsertim vetus illa li-
beralitas principum, primariorumq; senatorum dura-
ret. quorum vigente adhuc antiquo illo more, ea fere
consuetudo esse solebat, ut quoties ex regia, Comitissue
discederent, vix unquam indonata Cancellaria profi-
ciscerentur: quin vel centenos, vel denos aliquot flore-
nos, prout quisq; munificum se præstare volebat, in
karbonam mitteret. Ex qua ipsa liberalitate proceræ
Iuventus ea, quæ & maxime necessariam reipub. re-
giæq; operam præstat: & non postremum seminarium
reipub: est, non paruum adiuumentum ad tolerandum
se capiebat. Ut ad rem redeam, ad eiusdem Regentis
notariorumq; curam, maxime tabularium etiam, seu
metrica, quam vocamus, pertinet. ut quæ omnium tam
publicorum quam plerorumq; etiam privatorum scri-
ptorum, ad futuri etiam temporis perpetuitatem, fide-
lissimæ

lissima custos sit. Primum igitur summa fide diligentiaq; quæ inscribenda in illam offeruntur, referenda in eam ab illo, qui curam eius habet sunt: deinde non minore fide, quibus quis ex ea opus habeat, edenda: ad extremum summa vigilantia custodienda, asservendaq; est. Inter summas certe Catonis minoris laudes non postrema hæc commemoratur; quod cum ante eum questorem tabula publica, non satis religiosè semper referrentur, falsaq; sæpe senatus consulta, gratia & precibus reciperentur, in quaestura & ærarium ab huiusmodi fraudibus purgarit, immuneq; præstiterit: & cum aliquando de senatus consulto uno addubitasset: & si multi testes eius se offerrent, fidem tamen ei non habuerit, neq; prius ad ærarium retulerit, quam præsentibus Coss. iurassent. Et quanta quidem tabularij cura habenda sit, Alexander magnus etiam exemplo suo testari non dubitavit. Cum enim ad Eumenis opes in lucem proferendas, tabernaculum eius clam incendi mandasset: incendiumq; id, subito restingui non potuisset, simulq; tabularium conflagrasset: per omnes imperij sui fines, quod quisq; scriptorum possideret, ut ad restituendum archium ad Eumenem deferrent, edixit. Idem cum infelici W. arnense prælio, una cum Rege tabularium perisset, apud nos factitarum scimus. Verum præter hæc tam secretariorum, quam notariorum, duo maximè propria officia sunt: unum, ut & notarij, in secretariorum, maxime regentis: & utriq; tam secretarij, quam notarij in

Cancellariorum potestate sint. alterum, ut in negocijs
vel à Rege vel Cancellarijs, alijsue magistratibus aut
senatoribus sibi creditis, summam fidem taciturnita-
temq; præsent. Atq; ut Cancellarios quidem obser-
uent, ex eorumq; arbitrio toti pendeant, cum illorum
iudicio atq; arbitrato ad munera illa fere asciscan-
tur, equitas ipsa postulat. Præterea verò etiam, quòd
si quid ab illis peccetur, Cancellariorum periculo, inui-
diatq; ab illis peccetur, ut qui non suam solùm, sed se-
cretariorum etiam notariorumq; quorum opera utun-
tur, culpam præstare ferè teneantur. Itaq; cum more
maiorum, duo genera secretariorum, unus nimirum
Regens, qui privatis scriptis, de quibus supra actum,
tractandis ferè præest; alteri externorum seu publico-
rum, scriptorum secretarij, eadem Regi subscribenda
dare, referreq; nomine Cancellariorum de ijs negocijs ad
Regem soleant. Cancellarijsq; occupatis, tanquam in-
terpretes quidam, inter Regem & Cancellarium sint:
nullum ferè negocium sine scitu Cancellariorum rectè
ab ijs suscipitur: sed quacumq; vel ad Regem ab illis re-
feruntur vel tractantur, vel quo alio modò expediun-
tur, scitu permissiq; Cancellariorum, ab iis geri debet.
Semperq; Partolci illud Achillem contubernalem su-
um: sed maiorem contubernalem etiam absentem reue-
rentis in mente versari ijs debet, Αὐτὸς ἀπὸ τοῦ οἴου καὶ ἀπὸ τοῦ
ἐκτὸς οἴου. illi enim Cancellarijs: Cancellarij Regi ac
Reipub: omnium actionum suarum rationem reddere
debent.

debent. iam de fide taciturnitateq;: quanta ab illis praestari debeat, quid dicam? neq; solum in publicis negocijs sibi commissis, verum etiam priuatis. in quorum non paucis ipsis, etiam ante tempus proferendis, non mediocriter saepe peccatur. Quantomagis verò in publicis? Secretarij sanè consilij publicis intersunt: iuratiq; silentium in ea promittunt. Verum notarij etiam, quorum opera in expediendis scriptis vtendum plerumque nobis est, non expertes etiam aliquo modo, eorum sunt: anima quasi consiliorum publicorum, taciturnitas silentiamq; est. qua in re quemadmodum in omnibus praeclaris institutis, mirifici sanè Romani erant. Et si senatus numerosissimus erat: Et si filij familias patres vt plurimum in senatum comitabantur, eosq; obseruabant: praeter patricios non pauci etiam, qui magistratibus apparebāt, in senatum conueniebant: miro tamen semper silentio, senatus consulta, decretaq; regabantur. adeo quidem, vt arcana consilia patrum multis seculis nemo senator enūciasse notatus fuerit. Quintus Fabius maximus, Et is per imprudentiam de tertio Punico bello indicendo, quod secretò in curia erat actum, P. Crassus petens, domum reuertenti in itinere narravit: memor, eum triennio ante quaestorem factum, ignarusq; nondum à censoribus in ordinem senatorum lectum: quo vno modo etiam iis, qui iam honores gesserant, aditus in curiam dabatur. Sed quamuis honestus error Fabij esset: vehementer tamen à Cos. ob-

iurgatus est. Nunquam enim taciturnitatem, optimū
ac tutissimum administrandarum rerum vinculum
labefactari volebant. itaq; cum Asia Rex Eumenes
bellum à Perse aduersus. P. R. comparari senatui nun-
ciasset: non ante sciri potuit, quid ille locutus esset, aut
patres respondissent, quā captum Persen cognitū est.
Itaq; non dicam unum, sed neminem audisse crederes,
quod tam multorum auribus fuerat commissum. poste-
rioribus demum temporibus, vt aliis rebus præclaris,
ita, taciturnitate quoq; paulatim labente, vt tacita,
quæ vocabant, senatus consulta fierent, institutum.
Nam si forte aliqua vis ab hostibus immineret: quæ vel
humilia consilia captare cogeret: vel aliqua constitue-
re, quæ non prius oporteret dici quā effici, senatus con-
sulta fiebant. quibus præter senatores, omnib; remotis,
non scribæ, non serui publici, non censuales rei illi in-
teressent: senatores exciperent: senatores omnium offi-
cia censualium, scribarumq; complerent. quod quidem
aliquando apud nos etiam fieri scimus: superiore verò
memoria non solum secretarios, præter unum maiore,
sed Castellanos etiam minores remoueri ab huiusmodi
consiliis solitos. Verū quod ad Cancellarium atti-
net, vix non similem disciplinam à Ioanne Zamoscio,
quiq; ex eius disciplina profecti muneri ei ipsi quoque
præfuere, summis viris, Alberto Baranouio Archie-
piscopo nunc Gnesnense, & principe senatus: Petro Tri-
licio

licio Episcopo Cracouien: à quibus in te quoq; Illustris-
sime præsul eadem transmissa: constitutam, seruata-
que meminimus. Nemo nostrum illis Cancellariis vl-
lius scripti, non dicam priuato, aut quod absit, externo
alicui: sed ne senatori quidem sine Cancellariorum sci-
tu permissuq; copiam facere, fas sibi ducebat. Si quod
grauius erat, quod communicari quisquam secum po-
stulabat, ad ipsum Regē aliquādo à Cancellariis refere-
batur. Paulò superioribus temporibus, nescio quomodo
disciplina ea laxata, nullū scriptum ferè, vel tā secretū
vel tam graue esse videmus, quod non in omnīū fere ma-
nibus volitet. ac non solum consilia omnia publica om-
nibus fere, vno fortassis ipso etiam libertatis hoc vicio
patent: sed scripta etiam, quibus consilia ea continen-
tur, publica pœne haberi cœperant. qui ex vetere disci-
plina arcana secretaq; ea habebat, eum tanquam alti-
mīq; silentij virum ridere pleriq;. Verūne à Can-
cellaria discedamus, & à te iam disciplina eius restituz
restaurariq; cœpta: & à collega tuo Felice Kriscio
clarissimis maioribus orto, summoq; ingenio & dexte-
ritate Procancellario, eandem operam clari videmus.
Tertium Cancellarij munus in iudiciis versari osten-
dimus. Qua in parte, vt aequitatem justiciamq; ante
omnia prae oculis habeant; nihil gratia, nihil muneribus
dent, in tantis viris, ne monitioni quidem ulli locus
esse potest. Quorum enim ita spectata virtus atq;

int-

integritas est, ut ex ea potissimum ad amplissimum
dignitatis gradum lecti sint, quomodo vel suspicionem
ullam gratia, aut sordium admittere ea potest? Præter
iusticiam autem & æquitatem: quæ prima semper esse
debet: quo rectius atq; ordinatius aliquantò iudicia
administrantur, tria non inutiliter institui posse, vi-
dentur. Unum, quod ordinatione etiam Henricana,
de qua supra mentionem feci, annotatum fuit, ut statim
semper tempora, locusq; iudiciorum observentur. Alte-
rum ut sententia tã inferioris subsellij assessorū, quàm
tribunalis appellationum, seu relationum, quas voca-
mus, Regiarum, non viva voce, sed scripto proferan-
tur recitenturq; priusq; quam publicè pronuncientur,
absente parte scripto concipiantur, privatimq; coram
principe aut iudicibus recitata, ab ijs approbentur. qua
ratione & contentiones, tricaq; complures, quæ etiam
post sententias latas inter partes cum iudiciorum nota-
rio intercedere solent, evitarentur: & minus aliquantò
erroris committeretur. Tertium est, ut & in temerè li-
tigantes pœna decerneretur, aut ad minimum in in-
pensas parti condemnarentur: & procuratores certa
disciplina legibusq; astringerentur. quorum utrumq;
si fieret, minus sine dubio litium foret. Cum ad ius no-
strum Prædicum corrigendum superioribus annis ex
Palatinatu meo cum alijs ipse quoq; delectus fuissim,
de pœnis in temerè litigantes, maximè autem litis im-
pensis, aliquomodo tenui: de procuratorib9, nescio quo-
modo

modo discussa res fuit. Tria autem tum proposueram:
ut iurati, ac si fieri posset, in singulis Palatinatibus pos-
sessionati essent: ut certa, ex quantitate summarum,
seu causarum, quæ in iudicium venirent, salaria illis
constituerentur: ut si falsi vel calumnia, vel prauari-
cationis, vel similis alicuius criminis convictus quis es-
set, pœna in eum certa, pro magnitudine delicti consti-
tuta esset. Quibus rebus quid iustius, quid æquius esse
potest? Quilibet apud nos Index, Senator, Princeps
ipse deniq; iuratus est: advocatus cur iuratus esse non
debeat? ego verò non solum causidicum, sed partes
ipsas juramento calumnia, saluberrimo Iuris Casarei
ad lites fraudesq; minuendas inuento, obstringi opta-
rem. quo & iustam causam ex animi sui sententia se fo-
uere, neq; ullas vel iudicis, vel testis corrumpendi vias,
rationesq; se tentaturos iurarent. si vel iurisiurandi
religio effranem illam litigantium libidinē, fraudesq;
reprimere posset. Ut quidem possessionati sint, in Regiis
iudiciis, nescio an teneri possit: maxime autem causa-
rum, quas vocamus, Magdeburgensium, ad quas ob ju-
ris eius peritiam, ex plebe etiam atq; externis nonnu-
quam procuratores admittendi sunt. Ut tamen, quod
in aliis regnis diligentissime cauetur: ne temere quili-
bet in iudiciis turbare, aut vel imperitia vel fraude
miscere posset: certi aliqui delectiq; inq; officium illud
iurati saltem admittantur, & in nostra quoq; regia
caueri posse existimarem: & quantum judicare possum

magna cum utilitate fructuq; caueretur. Quemad-
modum & illud, ut certa salaria assignata habeant.
Qua enim equitas suadet, ut cum munus aduocati,
ad utilitatem salutemq; litigantium comparatum, in-
stitumq; esse debeat, in perniciem id eorum verti: &
cuiq; pro suo arbitrato, miseros & egentissimos ali-
quando clientes concutere depascisciq; licere: & iudi-
cibus quidem terrestribus, amplissimis viris: vicarijsq;
eorum & notarijs, certa stipendia constituta esse: ad-
uocatos ab omni lege immunes, quantum velint, exige-
re. Jam vero, ut in peccantes poena constituta sit, non
tamen atq; alterius regni, aut ciuitatis sed omnium ge-
nium, ex ipsa natura haustum ius est: ne scilicet delicta
vlla impunita maneant. Quod autem grauius crimen
esse potest, quam vel clientem circumuenire: in fidem
suam receptum deferere: non integra bonaq; fide, cau-
sam eius agere: vel etiam aduersario prodere: iudiciū
testemue corrumpere: vel se corrumpi sinere: quaq; eius
generis similia sunt. In qua poenas constitui, tantum
abest, ut boni integriq; aduocati: quorum magna mul-
tudo est, recusare debeant; ut potius, quo mali ab il-
lis secernantur, maxime optandum id illis sit. & si con-
stituerentur, non parum fortassis audacia fraudesq;
quorundam cohiberentur. Reliquum est, ut de quarto
munere Cancellariorum aliquid dicamus. quod in po-
stulatis desiderijsq; ciuium ad principem, responsijsq;
principis ad ipsos referendis, versatur. Vetusissimas
Cancel-

Cancellariorum partes hasce fuisse, & Gothicis etiam temporibus, in illorum regijs ab illis usurpatas, Cassiodorus testatur. Quoniam, inquit, crederis, omnes industria fideq; superare, ideo cancellorum tibi decus attribuitur; ut consistorij nostri secreta, fideli integritate custodias: per te presentandus accedat: per te nostris auribus desiderium supplicis innotescat: iussa nostra sine studio vanalitatís expedias: omniaq; sic geras, ut nostram possis commendare iusticiam. tum alio loco. Persona tua refugium sit oppressi: infirmis defensio: praesidium aliqua calamitate concluso. Sic enim cancellos agis, si lae forum impia claustra soluas. Prima autem in hac parte, praecipuaq; virtus Cancellariorum fides est. ut fideliter ad principem desideria omnium referant: non minor vero, iuris publici cura. Omnium enim quidem desideria ad principem referre debent: non tamen omnia promouere. Sed ea tantum, quae in re publico, legibusq; conueniunt. Certa iura habemus, quibus non solum exteri atq; plebei, ab honoribus & plerisqueq; beneficijs remouentur: verum etiam ut matura aetate, iudicioq; ac benemeritis conferantur, praescribitur. Sunt iura quibus ne proventus certi mensae regia distraherentur, dissipenturq; aut à priuatis usurpetur, vetatur. Sunt quibus certi proventus publici, ut quartana pecunia, non nisi in destinatos usus conuertatur, cauetur. Peculiaria praeterea quaedam ecclesiastici ordinis iura sunt: peculiaria equestris. Postulat aliquis quid

contra hæc, & similia iura, aut quod cum detrimento,
vel in fraudem reipub. sit: non solum iuuare in petiti-
onibus huiusmodi neminem debet, verum etiam se oppo-
nere. Custos enim legum, iurisq; publici est. In alijs re-
bus, quæ iustè postulantur, sine ulla respectu vel poten-
tia cuiusquam, vel gratia, communem omnibus se præ-
bere debet: nulli vel ad se, vel principem aditum præ-
cludere, ac non solum ob potentiam cuiusquam oppres-
sum, aut iniuriam passum deserere: sed ultrò potius
contrarium, iniuriasq; potentioris patrocinium infir-
mioris suscipere. præclarum gloriosumq; est, egentem
subleuare: opem auxiliumq; præstare pupillis, orphanis,
alijsq; imbecillioribus: eripere ab iniuria potentioris,
inopem. Ita autem proprium hoc officium Cancellario-
rum est; ut conuenire inter plerosq; soleat, si quis con-
tra ipsum Cancellarium iustè quid postulet, negare illi
officium suum Cancellarium non posse, aut debere. Il-
lud fortassis non reprehendendū, ut si quis quid petat,
quod Cancellarius etiam ambiat, ut una cum alteri-
us suam quoq; petitionem ad Regem referat, sibiq; eti-
am non desit. vetus enim. Sibi quisq; proximus: si quis-
quam enim, Cancellarij certè Regi & reipub. seruiunt,
ac plerosq; meritis antecedunt. unde non immeritò
fortassis, quod vulgò iactatur, natum. Vix mihi impe-
trare potui, nedum tibi. In tantum autem etiam con-
tra se ipsum officiū suum præstare debere existimatur;
ut si quis aliqua de re in ius contra eum adire velit,
libellos,

libellos, seu citationes, quas vulgò vocamus, ipsum
contra se aduersario edere teneri plariq; censèat. Mar-
cellus sanè Syracusarum domitor, cum Siculi contra
eum senatum adire vellent, ipse tum consul, non solùm
vltro senatum eis dedit, verùm & patientissimè in se-
natu eos audiit: & cùm causa perorata, illo responsuro
ex senatu discederent, in senatu retinuit; ut si quid
contra defensionem suam dicere vellent, potestatem eis
faceret. in eadem repub. iurisconsulti summi viri, vel
inimicis suis fontes suas patere, atq; etiam aduersarijs
amicorum suorum, de iure consulentibus respondere,
ne cesse sibi putabant: seq; aduocatis, vel illum ipsum,
quem contra venissent, causa cadere, turpe existima-
bant. quam quidem equitatem meritò quilibet magi-
stratus in officio suo imitari deberet. Iam in responsis
ad postulata, desideriaq; cuiusq; à principe referendis,
ut vel inani spe aliquem lætent: vel incerta pro cer-
tis referant, fumosq; vendant, in tantis viris ne ve-
rendum quidem est. repudiat id dignitas, autoritasq;
cùm ipsorum, tum magistratus, quæ et si nunc quoque
maxima sit: maior tamen olim etiam aliquantò fuisse
videtur. Primum enim singulos tantùm Cancellarios
ab initio in regno fuisse satis constat. Et quamuis conse-
quentibus temporibus regno in aliquot principatus ali-
quoties distracto, quot principes tot Cancellarij etiam
existerent: morte tamen principum ad communionem
regni ditionibus eorum reuersis, cum iisdem Cancellarijs

reriorum etiam numerus ad unum regni Canceryarium
redire solebat. Postea cum partim multitudine nego-
riorum, aliquando etiam valetudine, aut alijs rebus
auocatus omnibus satis facere is non posset, ut Vicecā-
cellarius, qui illo impedito partes eius exciperet, esset, in-
stitutum fuit, qui primis quidem temporibus ut nomi-
ne; ita re Vicecancellarius erat: neq; fere nisi absente,
aut impedito Cancellario, cuius ut vices gereret insti-
tutus erat, quicquam attingebat: in eamq; rem priua-
tum, atq; ut autoritate, ita forma etiam minus sigil-
lum excogitatum erat. quod presente quidem Cancel-
lario apud Reges priuatim asseruabatur: eo autem ab-
sente, cum alia litera, tum non tam donationes, quam
promissa earum, per Vicecancellarium illo signabatur;
ut quæ ita demum rata essent, si maiore sigillo postea
signata fuissent. itaq; clausula fere in plerisq; addita
reperitur, qua easdem literas maiestatis etiam sigillo
signari se mandatueros Reges promittebant: quo nomi-
ne maius scilicet, quod in Cancellariorum, potestate e-
rat, vocabatur. Cum Cancellariorum autoritas eò ex-
creuisset, ut non modò priuatis, verum ipsi fortassis
etiam Regibus grauis iam esset, lege ab Alexandro Re-
ge lata, Vicecancellarius cum Cancellario exæquatq;
parq; utriq; potestas tributa fuit. Ab eò tempore pari
autoritate uterq; negocia publica administrare. Quod
autem Vicecancellarij tum munus erat, ad primum
secre-

secretarium, quem maiorem vulgo vocamus recidisse
fere videtur. cui cum alia privilegia tributa sunt,
tum ut tacitis senatusconsultis præ alijs solus interes-
set, tributum. Eundem Cancellario utroq; absente, illo-
rum uices, quemadmodum primis temporibus Vice-
cancellarius, more, consuetudineq; sustinere fere soli-
tum meminimus. Atq; ab initio quidem sacerdotes fe-
re tantum, & plariq; Episcopi iam muneribus hisce
præerant. Primus Wladislai Regis tempore ex secu-
laribus, quos vocamus, Clemens Moskorouius ad ma-
gistratum hunc prouectus fuit: cui cum aliquot postea
eiusdem ordinis; non tam iuris aliqua necessitate,
quàm Regum arbitrio atq; voluntate in eodem mu-
nere successissent: tandem, vel quòd ecclesiastici in ex-
peditionem nonnunquam Reges sequi vererentur:
vel quòd potentia ipsorum grauis nobilitati vi-
deretur: sen, ut ipsius legis verbis utar, quòd actio-
nes nonnunquam tales interuenirent, quarum
executionem spiritali persona committi non conue-
niret: lege à Sigismundo p^{mo}. lata, ut alter-
uter semper ex ijs secularis esset, statutum; qua
quidem primus Christophorus Sidlouiecins, ma-
gni nominis Cancellarius, magistratum eum cœ-
pit: eadem autem ad nostra usque tempora
sine ulla interpellatione seruata fuit. Cumq; meri-
tis honoriq; Cancellariorum id quoq; Alexandrina
legis

legis beneficio tributum fuisset, ut ad summa sacerdotia, ut Archiepiscopatus, Episcopatusq; primi ipsi essent, subrepente sortassis vicio rerum humanarum inuidia, ad potentiam eorum minuendam ab eodem Alexandro non multò post statutum; ut ecclesiastici quidem ex maioribus Episcopatibus aliquo: saculares autem Palatinatu, aut Castellnatu accepto, magistratu cederent. quæ tamen lex non nisi Sigismundi Augusti demum temporibus, ut alia Alexandrina legis capita, executioni demandata fuit. Postremò nullis beneficiis, nullis diplomatibus, nullis donationibus, siue perpetuis siue aduitalitiis, Rex subscribebat: Sed Cancellariorū fidei ista concredebantur. qui, quæ à Rege alicui promissa, aut collata in aliquem essent, fideliter referebāt: suæq; manus subscriptione, & sigilli Regij appensione fidem eis faciebant. à quo more vetus quidem jurisjurandi formula adhuc manet: quo nullas literas pergameneas: in membrana enim huiusmodi fere scribuntur: sine scitu Regio, se daturos Cancellarij jurant: mos autem, cum ad D.^a. memorie Augustum Regem usq; durasset, ab eo priuata denunciatione sublatu fuit. cum nullam donationem aut simile ius, cui ipse non subscripsisset rata se habiturum, aliquot ante mortem annis in comitio professus fuisset. quod ipsum deinde reformatione Cancellaria Henricana confirmatum etiam fuit. ad quem locum ventum cum sit, non alienum fortassis fuerit, qui in aliis regnis imperijsue, tam nostris temporis

temporis, quam olim mos hac in parte observatus fuerit, inspicere. Ac Romanos quidem principes subscriptione usus, vel notissima illa vox Neronis ostendit; quàm vellem nescire literas: cum de supplicio cuiusdā capite damnati, ut ex more subscriberet, admoneretur. Similiter Plautiani urbanarum cohortium sub Seueropraefecti facinus, qui cum in spem imperij accensus, Seuerum Imperatorem cum filio per tribunum militum tollere pararet, literas demandata cadis tribuno petenti, cupiditate planè obcæcatus, in eadem patrandam dare non dubitarat: recepto tum nimirum more, quo cades manus suæ subscriptione mandabant. quo mandato ipsorum factam percussor defendere posset. Verùm ad pleraq; alia etiam negotia, & à minoribus etiam magistratibus, passim subscriptiones adhibitas fuisse, Tiberij in Rhodiorum magistratus ludus argumento esse potest. qui cum Rhodiorum magistratus, qui literas publicas, sine subscriptione ad se dederant, euocasset, ne verbo quidem insectatus, tantummodò inssos subscribere remisit. Nostra ætate ex barbaris principibus, ut Turcarum, Persarum, Tartarorumq; itidem Regibus, nullum subscribere videmus. ex Christianis summum Pontificem, & Venetorum Ducem solos non subscribere: reliquos fere omnes, cum literis ad alios principes, tum alijs scriptis ipsos subscribere. qui quidem mos nunc à nostris quoq; Regibus observatur: cum antea omnia scripta, maxime autem maioris momenti

illa, ut donationes, privilegiaq; alia, Cancellarij ipsi
subscriptione autoritateq; sua firmarent. Neq; ta-
men in alijs omnibus negotijs, minor ob id nunc quoq;
autoritas illorum est, quæ omni certe exceptione maior
in iis, quæ à Rege referuntur, ultrò sibi fidem astruit.
Id autem ut operam dent, ne responsis ullis à principe
referendis, quæquam vel alienent, vel infensum prin-
cipi reddant, prudentia illorum est. Non possunt Reges
omnibus gratificari: sæpe rerum: sæpe temporum diffi-
cultas obstat: nonnunquam publicas: nonnunquam pri-
uatas rationes suas habent; ob quas non semper cuiq;
satis fieri possit: ea & sapienter regere, & animos eo-
rum, quibus negatum aliquid fuerit, non modo de-
mulcere, sed magis etiam principi adiungere, & fidei
& prudentia magistratuum, maximè autem huius est.
Verùm in omni parte magistratus functionisq; huius,
haud scio an ulla virtus magis necessaria Cancellarijs
sit, atq; laborum tolerantia, ac patientia. Neq; e-
nim, quod ab Aegyptijs Amasis concedi sibi volebat,
ut tanquam arcum se remitteret, idem illis negocia, vel
homines permittunt. Die noctuq; sequuntur eos: in
cubiculum usq; eos prosequuntur: ante Galli cantum
ostia pulsant: media nocte aliquando è somno excitant.
omnia principis reipubq; causa perferenda sunt. Iam
verò in ipsis hominibus ferendis, quanta eos patientia
esse oportet? raro aliquis tempus eorum observabit:
quamvis omnium rerum primum id esse sciat quid ali-
ud

ad quam importunitati condonandum? Veniet hic
cum ampullis, & sesquipedalibus verbis. palpandum in-
super illi est. alter tumido delitigat ore, placandus est.
alius plorabit, consolandus: alius celum, terramq;
contestabitur. ferendus est. Virtutes, ob quas consula-
tum, summum Romæ honorem iustissime promereri
Servius potuerit, hæc Cicero describit. Servius hic
nobiscum hanc urbanam militiam respondendi, scri-
bendi, cauendi, plenam sollicitudinis, ac stomachi
secutus est: multum vigilavit, laboravit: præsto multis
fuit: multorum stulticiam perpeßus est: arrogantiam
pertulit: difficultatem exarbit: vixit ad aliorum ar-
bitrium, non ad suum. quanto rectius omnium stulti-
cia, ineptissq; perferendis: commodaq; & tempora
sua, non ex suo, sed aliorum arbitrio dispensando, ma-
xima præmia Cancellarios mereri dicere, possumus?
Breuiter, quæ de amplissimi magistratus dignitate,
atq; munere in mentem mihi venerunt, exposui. Qua-
cum omnia præclarissimè à te Ill^{ma}. præsul præsen-
tur, nisi ex solenni formula soli principi precatio ista de-
beretur, ut de nostris tibi Iuppiter annos adderet, me-
ritò omnes tibi precaremur: Ut tamen & in munere
hoc, & postea ad altiores honores prouectum, quàm
diutissimè incolumem, te reipub. Deus præstet, om-
nes boni cupiunt, vouentque.

FINIS.

Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :



ul. Krzemowa 1

62-002 Suchy Las

www.digital-center.pl

biuro@digital-center.pl

tel./fax (0-61) 665 82 72

tel./fax (0-61) 665 82 82

Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.

Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.

All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.